


LVNÆ DIE 17 M. OCTOBRIS A. 2016

A.d. XVI Kal. Novembres a. MMXVI

I 94

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIS
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128

CVM CIRCVMSPICIO...

– *scripsit Gaius Licoppe* –

Cum in aliquo loco publico circumspicio, inter alios video homines plus minusve septuaginta annos natos; iam diu sunt rude donati et vocantur «seniores»; non pauci senem aspectum iam præbent.

Mecum tum cogito: «Hi homines non noverunt alterum bellum mundanum, quod mox erit factum historicum tantum in libris narratum.»

Qui autem bellum non vixit, sibi fingere non valet, etiam postquam multa legit, quid re vera fuerit; neque recordari potest quam miserabiles fuerint Europæ civitates, bello finito, per multos annos; superstites satis diu cibis carere perrexerunt; multæ urbes et fabricæ pugnis vel bombis corruerant; multæ viæ erant corruptæ: talis erat effectus effrenatorum nationalismorum, qui in Europa magis magisque sævierant. Incolis solacio tantum erat gaudium victoriae; a servitute nazistica tandem liberabantur.

Russi sovietici, qui inter bellum fuerunt Occidentalium socii, ultimo Conventui communi interfuerunt Potsdami (a. 1945). Quattuor diebus post Conventum dimissum, Americani primam bombam atomicam deiecerunt in urbem Iaponicam *Hiroshima*.

Ab eo tempore Russi, duce Stalino, se gradatim hostes Occidentalium magis magisque ostenderunt. Omni libertate democratica orbaverunt civitates orientales e quibus Germanorum exercitus expulerant; iugum impositi regiminis communistici Hitleriano iugo substitutum est. Quæ res populos Europæ occidentalis nondum multum commoverunt; oculos demum aperire coeperunt, cum mense Februario anni 1948 Russi dolo et vi regimen democraticum in Tsechoslovacia sustulerunt. Timor tunc apud Europæos occidentales gaudio paulatim successit.

Necessitas virium coniungendarum apparuit atque iam uno mense post pangebatur Fœdus Bruxellense (m. Martio a. 1948): Magna Britannia, Francogallia, Belgica, Nederlandia et Magnus Ducatus Luxemburgensis statuebant cooperari in campo œconomico, sociali culturalique, sed præsertim etiam instituebant Organizationem Communis Defensionis.

Paulo post, Hagæ Comitum in Nederlandia habitus est Conventus Europæ (m. Maio a. 1948), quem instruxerunt complures consociationes; inter eas *United Europe Movement* creata a Vinstonio Churchill, qui vir Conventus præses honoris causa fuit. Amplius 750 participes ex 17 civitatibus hunc conventum participaverunt, cuius monitio fuit hæc: «Instant minæ, Europa divisa est et maxima minarum gignitur ipsis divisionibus.»

Insequenti anno conventus Bruxellas convocatus (m. Februario 1949) Motum Europæum condidit, quo

crearentur Europæ Counitæ Civitates.

Civitatibus Europæis, quæ Organizationem Communis Defensionis anno 1948 creaverant, se adiunixerunt Fœderatæ Civitates Americae et Canada; sic mense Aprili a. 1949 nata est Organizatio Pacti Oceani Atlantici Septentrionalis (NATO sive *North Atlantic Treaty Organization*; Fr. OTAN), cuius cura est defensio communis; Americani tamen nolebant rem ubique soli sustinere, quare optabant ut Europæ civitates confœderarentur et suam defensionem efficaciter susciperent. NATO fuit responsum Bello Frigido, quod inter Unionem Sovieticam et Occidentales gradatim crevit et mansit usque ad annum 1991, quo, collapsis regiminibus communisticis in orbe Sovietico, ipsa Unio Sovietica dissoluta est.

Fœdere Londiniensi (m. Maio a. 1949) creatum est Consilium Europæ, Argentorati sedens, cuius officium est Iura Hominis tueri et democratiam confirmare.

Motus Europæus spem Europæ confœderandæ excitavit ac sine mora effectus habuit. Iohannes Monnet, Francogallus cum Americanis artissime coniunctus, operam strenue dabat ut Europæ civitates modo Americano confœderarentur. Eo impellente, Francogallus minister Robertus Schuman die 9 m. Maii a. 1950 famosam contionem habuit, qua suadebat ut crearetur Communitas Carbonis et Chalybis, primum institutum supranationale Europæum, primum lapidem futuræ Unionis Europææ.

Quinque annis post finem belli, vastationibus in Europa nondum resartis, Francogallia, Germania occidentalis et unio *Benelux* putaverunt Roberti Schuman propositum remedium fore necnon œconomiæ stimulum; paulo post, die 18 m. Aprilis a. 1951, pactum est Fœdus Parisiense, quo instituebatur Communitas Carbonis et Chalybis; tum primum civitatum regimina sinebant magnam œconomiæ partem non a se pendere, sed ab alta auctoritate supranationali.

Interea necopinato die 25 m. Iunii a. 1950 regimen communisticum Coreæ septentrionalis in Coream meridionalem invasit, cui Americani magnum auxilium afferre debuerunt, ut septentrionales in fines suos tandem compellerentur (m. Iulio a. 1953).

Americani timebant ne idem accideret in Europa, cum iam inter annos 1948 et 1949 Stalonus obsidione frustra conatus esset Berolino, partim ab Americanis, Anglis et Francogallis occupato, potiri toto.

Iam ante bellum Coreanum Americani putabant necessarium esse Germaniam iterum armari, cui post ditionem vetitum esset exercitum armaque habere; Germaniam autem armari nolebant Francogallia et Belgica recentis dolorosique belli memores.

Tamen, incohato bello Coreano, Americani iam nolebant soli suscipere securitatem civitatum Europæ Occidentalis; ut Russorum impetus, si necesse esset, contineretur, poposcerunt ut hæ civitates suum quæque exercitum augerent ac præsertim ut armaretur novus Germanorum exercitus; ipse Præsidens Truman minatus est se copias in Europam non esse missurum, nisi sine mora armaretur Germanorum exercitus.

Sic coacta, Francogallia annuere debuit. Iohannes Monnet tunc proposuit ut crearetur Communitas Europæa Defensionis, in cuius exercitu Germanorum copiæ cum ceterarum civitatum copiis commiserentur. Hanc Communitatem a Consilio supranationali rectam una cum Communitate Carbonis et Chalybis magnum gradum fore ad condendam Rempublicam Europæam. Propositum Iohannis Monnet, aliquatenus mutatum, factum est fœdus quod regentes Francogalliæ, Germaniæ occidentalis et Benelux die 27 m. Maii a. 1952 ratum habuerunt.

Eodem anno, quo regentes Europæ occidentalis hoc pacto magnum gradum fecerunt ad fœderationem, Iohannes Capelle, rector Universitatis Nanceiensis (*Nancy*), clara symbola c.t. «Le Latin ou Babel» (*Bulletin de l'Éducation nationale*, 23 oct. 1952), doctos monuit exitus investigationum linguis variis conscriptos nullius esse utilitatis linguamque communem omnino fieri necessariam. Cum in schola plerique linguam Latinam didicissent, aiebat, quin ad eius usum redirent, qualis adhuc fuisset duobus sæculis ante.

Redeamus autem ad fœdus, quod legaliter nihil valebat, nisi a singulis parlamentis comprobaretur. Hoc a plerisque celeriter factum est, in Francogallia tamen diu moratum est; displicebat enim exercitum Europæum in NATO includi, quod soli Americani regebant. Insuper anno 1953 Stalinus vita functus est atque eodem anno bellum Coreanum est perfectum. Inde minus validum fiebat argumentum periculi communistici. Sic evenit ut populi scitum die 29 m. Augusti a. 1954 factum fœdus recusaret; idem evenit in Nederlandia, etiam populi scito.

Reiecta Communitate Europæa Defensionis, impetus Motus Europæi fractus erat; civitates Europææ demonstraverant se neque propriam identitatem neque regiminis potestatem minui nolle; at paulo post, inexspectatum eventum monstravit necessitatem virium Europæarum magis coniungendarum.

Die enim 26 m. Iulii a. 1956 colonellus Nasser, Ægypti dux, declaravit canalem Suesiensem ad solum populum Ægyptiacum pertinere, nec iam ad societas capitalisticas Francogalliæ Magnæque Britanniae. Cum per hanc viam necessarium Orientis petroleum in

orbem Mediterraneum navibus afferretur et Nasser iam impediret ne naves ad rempublicam Israelianam destinatae transirent, Angli et Francogalli, una cum Israelianis, statuerunt canalem vi recuperare. Facile fuit Ægyptiacum exercitum vincere; victores tamen impenititi sunt ne victoria fruerentur, iussu gravibusque minis et Russorum sovieticorum et Americanorum.

Manifesto singulæ Europæ civitates, quæ ante alterum bellum mundanum fere totum orbem terrarum regebant, factæ erant impotentes. Fœderatio erat necessaria et inde nonnulli gradus facti sunt in hanc regionem. Traiectu ad Mosam (*Maastricht*) a. 1992 ratum est fœdus, quo creabatur Unio Europæa. Hoc fœdus bis, Amstelodami et Nicææ, aptatum est, crescente numero Unionis participum. Foedere Romæ II anno 2004 pacto Unioni data est Constitutio cum instrumentis veræ reipublicae; hoc fœdus suffragiis confirmatum est in plerisque parlamentis, sed in Francogallia et Nederlandia populi scito recusatum. Iterum nationalismi præstiterant communi bono. Num sic indefinite?

Hominum memoria in Europa Occidentali numquam tam longum tempus fuit pacificum: iam septuaginta annos in pace vivimus sub Americanorum tutela nec quicquam videtur timendum, quam ob rem hedonismus a concivibus nostris præsertim colitur. In rebus publicis gerendis competitio electoralis cum fallaciosis promissis plerasque civitates ad ingens æs alienum duxit. Si conamina iniucunda tandem necessaria facta sunt, politicis facilius est iussa Unionis Europææ incusare, quam mendacia electoralia fateri. Sic populi falso moniti in dubium veniunt: estne Unio Europæa utilis an nociva? ☩

DE SCIENTIIS ARABICE SCRIPTIS (I)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Solemus de scientiis «Arabicis» loqui, quamquam ea sunt opera minus ipsorum Arabum quam multorum populorum, e quibus constabat extentissimum imperium Arabicum; hoc solum habent commune, quod lingua Arabica scripta sunt. Eadem ratione non exstant scientiae «Latinæ», sed Latine scriptæ.

De his scientiis vix quicquam appetet in historia, qualis traditur in Europæ civitatibus christianis; est plaga obscurata, sicut historia Romani imperii orientalis.¹ Hæ tamen scientiae ab octavo usque ad quintum decimum saeculum floruerunt in imperio Arabico posterioribusque mahumetanis, cum iisdem temporibus in Europa omnino iacerent. Quare non inutile mihi visum est de earum momento et historia aliquid narrare.

Scientiae Arabice scriptæ non ignorantur Medio Ævo in Europa; multa enim opera scientifica et mathematica in Latinum vertuntur, præcipue in Hispania. Tempore Litterarum Renatarum scientiae iterum florere incipiunt; docti utuntur sifris et Indica methodo calculandi ab Arabibus transmissa; semen scientiarum renovatarum invenitur in operibus Arabice scriptis et in Latinum versis.

Septimum saeculum p.Ch.n. maximi momenti est in historia. Tunc temporis de imperio Romano sola superest pars orientalis, quæ ineunte saeculo in summo discrimine versatur. Persæ, duce Chosroë II, rege regum, Syriam atrociter vastant atque anno 609 incursionem faciunt usque ad Chalcedonem adversus Constantiopolin sitam. Anno 610 Heraclius imperator factus Persas repellere non valet, qui contra anno 614 Hierosolymis potiuntur, ubi basilicam Anastasis incendunt et unde Ctesiphontem deducunt patriarcham Zachariam cum præstantissimis reliquis fidei christianæ, inter quas numeratur Sancta Crux. Mazdeistæ² enim facti, Persæ Christianis infesti sunt.

Res non melius se habent ad Danuvium; nam Avari, traecto flumine, anno 619 Constantinopolin obsonderunt.

Heraclius, omni spe deposita, Carthaginem cupit confugere, sed Sergius, patriarcha Constantinopolitanus, eius vires indomita fortitudine confirmat eique pro bello sancto ingentem Ecclesiæ thesaurum præbet. Heraclius animum recipit et Persarum facinora statuit ulcisci. Historici hoc bellum habent ut primum bellum religiosum. Heraclius enim bellum gerit præ se ferens Christi imaginem ἀχειροποίητον (id est «non humana manu factam»), ut vexillum belli sancti.

Profligatis Persis, Heraclius anno 628 Chosroem II ex improviso opprimit in eius paradiso *Dastadjird*, unde præpropere fugit, ingentem prædam Heraclio relinquens. Heraclius tum ad populum Constantino-


politanum epistulam mittit hunc in modum: «Iacet superbus, impius Chosroë! Deiectus est in Inferos! Qui gloriatur se Christum, Παρθένον eamque Θεοτόκον (i.e. Virginem Deiparam) contemnere, cecidit confractus!»

Anno 630 Heraclius Sanctam Crucem recuperat eamque Hierosolyma triumphaliter reportat. Hic est finis certaminis Christi adversus Zoroastram, quod historici habent ut primam cruciatam expeditionem. Hoc tamen ingens bellum viginti annorum opes viresque et Persarum et Romanorum exhausit; hoc in mente habere oportet ut proximas Arabum mahumetanorum incredibiles victorias melius intellegamus.

Arabes septimo saeculo neque Romanis, neque Persis ignoti sunt; nam tribus Lakhmidarum a Persis et Ghassanidarum a Romanis adhibentur ut mercenariæ; eadem factæ sunt sive christianæ sive mazdeistæ.

Triumphans Heraclius nihil scit de Mahumeti rebus gestis, qui nova religione sua Arabum tribus pæninsulæ Arabicæ in unum coniungere valet. Primus califa, Abu Bakr nomine (632-634), Ghassanidas et Lakhmidas vincit et inde Palæstinam partim occupat, victis parvis Romanorum copiis. Secundus califa, Umar nomine (634-644), anno 635 Damascum in deditonem recipit. Heraclius, novi periculi tandem conscientius, magnum exercitum in Syriam mittit. Longum proelium committitur ad rivum *Yarmouk* (636), diu incertum; quinto autem die, postquam magna ala mercenariorum Ghassanidarum ad hostem transiit, debilitatus Romanorum exercitus a præculo discedit et Syriam relinquit. Causa mercenariorum desertionis est stipendum iam complures menses non numeratum; nam propter pugnam viginti annorum contra Persas factam, Constantinopolis adhuc caret pecunia.

Hic narrandum non est cur novum Arabum impe-



Sifrae in Occidente primum inveniuntur in Codice Vigilano (X saec.). Textus Latinus hic est: «Scire debemus in Indos subtilissimum ingenium habere et ceteras gentes eis in arithmeticâ et geometriâ et ceteris liberalibus disciplinis concedere. Et hoc manifestum est in nobem figuris quibus designant unumquemque gradum cuiuslibet gradus quarum hec sunt forma. 987654321.» (Wikipedia)

rium tam celeriter creverit, ut medio octavo sæculo iam pateat ab Hispania usque ad limitem Sinarum imperii. Potius nostra interest intellegere cur et quomodo lingua domitorum, Arabica scilicet, facta sit lingua scientiarum.

Mahumetus verisimiliter erat illitteratus, quæ res audiri non debet pravo sensu; pertinebat enim ad societatem tribalem, in qua scriptum despiciebatur ac prævalebat orale.³ Inde melius intellegitur discrepantia inter *coranum*, vocabulum quo Arabice significatur «recitatio», et sanctum librum corani, qui post Mahumetum tam cultus est. Mahumetus vituperabat «gentes libri», quas vocabat, id est Iudæos et christianos, autem eos divinam revelationem libris suis corrupisse. Eo vivo, coranus viris tradebatur, quorum munus erat totam rem tenere memoria. Res mutatae sunt ætate califarum; ii enim frequentissimas gentes regebant, apud quas solum valebat scriptum; inde discrepans necessitas verba corani libro defigendi. Sed plura de religione mahumetana, qualis ætate califarum mutata est, alia data occasione.

Initio imperii, cum ipsi Arabes nescirent quomodo excultiores regiones essent regendæ, administratio fiebat Græce, Syriace vel Persarum lingua, secundum regionem.

Ali califa facto, ab anno 656 caput imperii Medinam in perpetuum reliquit; abhinc pæninsula Arabica iam nullius utilitatis fuit in re œconomica et politica; utilitatem tantum servavit religiosam. Anno 661 Mu'âwiya, Damasci præfector, califatu potitus est atque eius stirps, Omeiadum vocata, primum facta est hereditaria; Damascus tunc fuit imperii caput.

Ætate Omeiadum, superior societatis classis ex Arabibus constabat, qui matrimonio vix iungebantur cum inferiore classe mahumetanorum non Arabum. In eo regimine Arabes privilegio muniebantur, quamquam religione mahumetana omnes mahumetani proclamantur esse æquales. Hæc fuit præcipua causa rebellionis Abbassidarum, qui Omeiadum stirpem medio octavo sæculo extinxerunt.

Hac Omeiadum mente melius intellegitur cur califa Abd-al-Malik I (685-705) exeunte septimo sæculo totius imperii administrationem statuerit arabizare. Sic lingua Arabica, quæ iam erat lingua religionis, paulatim latius diffusa est.

Califæ Omeiades, qui iam a victis didicerant quomodo magnum imperium esset regendum, etiam scire voluerunt, cuius utilitatis esse possent victorum scientiæ. Græcorum opera in Arabicum verti coepta sunt iam ante octavum sæculum et usque ad decimum sæculum.

Quamvis pleraque et præcipua opera scientifica et philosophica essent Græca, Persica non erant neglegenda. In parte occidentali et meridionali Persiæ, urbs *Gundishapur* facta erat sedes intellectualis Sassanidarum imperii. Quæ urbs, anno 270 p.Ch.n.



condita a christianis Antiochia a rege Shapur I capta deportatis, decursu temporum clara facta erat, cum in eius academia doceretur non solum medicina, philosophia, theologia et scientiæ, sed etiam lingua Græca et Indica. Habebat nosocomium, primum notum ubi medicina docebatur; erat sedes medica maximæ famæ in orbe Mediterraneo sexto et septimo sæculo. Cum anno 489 Edessæ Nestoriana sedes theologica (hæretica) scientificaque sublata est iussu imperatoris Zenonis, docti configurerunt in Academiam urbis *Gundishapur*; similiter factum est, cum anno 529 imperator Justinianus Academiam Atheniensem in perpetuum clausit.

Rex regum Chosroes I etiam medicum misit ad orientem, qui doctos Indos et Sinenses invitaret ut in Academiam *Gundishapur* suas apportarent scientias. Qui visitatores attulerunt textus Indicos de astronomia, astrologia et mathematica ac textus Sinenses de medicina et phytotherapia (i.e. curatione ope plantarum). Præcipua lingua in Academia adhibita erat Syriaca.

Res mira: in imperio Arabico pleræque translationes in Arabicum non a mahumetanis sunt factæ, sed a christianis vel Iudæis, qui linguam Arabicam neologismis necessario locupletare debuerunt; nam hæc lingua tempore Mahumeti solum a pastoribus et mercatoribus adhibebatur.

Tertius fons scientiarum Arabice scriptarum est in Mesopotamia et Asia Minore, ubi Antiochia Nisibena, *Harrân*, *Ra's al-'Ayn* et *Kenesrin* a quinto sæculo factæ erant eximiæ sedes intellectuales, quarum lingua erat Syriaca. Ibi tradebatur præsertim theologia, philosophia et grammatica, sed non omittebatur mathematica et astronomia.

Severus Sèbôkht (a. 667 mortuus), qui in monastrio *Kenesrin* laborabat, librum scripsit de astrolabio, copiosiorem quam primum servatum, Iohanne Philopone Alexandrino auctore (517). Idem Severus Sèbôkht etiam inter primos fuit, qui Indicum calculan-

di modum cum sifris et notione zeri in orbe mediterraneo ignota e Persia receperunt atque docuerunt; quæ sifræ et calculandi modus tantum post complura sæcula in Europam pervenerunt.

His tribus fontibus alitæ, scientiæ Arabice scriptæ Antiquitatis hereditatem per totum imperium Arabicum diffuderunt et ipsæ evolaverunt.

Omeiadum califa Abd al-Walid I (685-705) habetur primus, qui pecuniam dederit ad bibliothecam califalem constituendam et translationes faciendas, sed solum ab Abbassidarum califa al-Mansour (754-775) magnus impulsus translationibus datus est. Doctus Indus in aulam illius al-Mansour receptus est secum ferens librum duodecim capitulorum, quo stellarum motus describebantur tabulis per semigradus notatis. Califa statim iussit librum in Arabicum verti.

Translations in Arabicum etiam frequenter factæ sunt regnante Abbassidarum califa al-Ma'mûn (813-833); qui creavit «Domum Sapientiæ», in qua magnificum hospitium offerebatur doctis, quæcumque erat eorum fides; magna tolerantia tractabantur.

Cum in Syriam Ægyptumque invaserunt Arabes mahometani (septimo sæculo), adhuc erant medici, qui Galeni artem exercent. Paulus Ægineta, clarus medicus Græcus, Alexandriæ studuit et multa itinera fecit; multos tractatus scripsit, quorum unus tantum superstet, c.t. *De re medica libri septem* (ἐπιτομῆς ἱατρικῆς βιβλία ἔπτα); eius arbitratio viguit tum in imperio Orientali, cum in imperio Arabico.

Aaron (Ahrun), sacerdos monophysita Alexandrinus, sed verisimiliter Syrus origine, videtur esse ultimus medicus Græcus notus ante Arabum adventum. Auctor est optimæ anthologiæ medicæ triginta voluminum; quod opus primum est in Arabicum versum. Regnante califa al-Mansour, in lucem edita sunt prima opera de medicina et astrologia. Medicina præcipue nisa est hereditate Galeni et Hippocratis; hæc distinguebatur ab Arabum tradita medicina, quæ constabat e plantis medicinalibus et sortilegorum iussis, et qua soli pauperiores uti pergebant.

MEDICINA

Magnum fuit medicinæ studium apud Arabes, cum hæc scientia non parvi momenti esset in hominum vita. Ibn Sînâ (Avicenna Latine) (980-1037), in Sogdiana (Ouzbekistan) natus, in Persia laboravit. Conscriptis opus clarum c.t. *Canon medicinæ*, quo omnes corporis partes earumque functiones modo ab Antiquitate tradito describebantur. Ibn al-Nafis tertio decimo sæculo *Canoni* obtrectavit fieri non posse, ut sanguis in corde per sæptum interventriculare, validum et continuum, transiret; sic parvam sanguinis circulationem prænuntiabat. Quomodo hoc autumare potuerit, latet, cum ipse scripserit se religione impediri ne dissectiones faceret.

Avicenna et Averroes (Ibn Ruchd, Cordubæ in

Hispania natus a. 1126 et Marrochii (*Marrakech*) in Maroco vita functus a. 1198) putabant intellegentiam ab anima tantum pendere nec ullam sedem corporalem habere. Contra al-Razi (Rhazes Latine) (865-935) in tractatu, c.t. *De medicina spirituali*, suggerebat animam et corpus unum esse, sed eius sententia non prævaluit. Cum esset empirista et rationalista, multum vituperatus est propter aristotelismum reiectum et liberam cogitationem de religione mahometana.

PHARMACOPÆA

Pharmacopœa locupletata est in imperio Arabico. Ibn al-Baytar, Malacæ in Hispania natus et Damasci a. 1248 vita functus, multa itinera fecit per totum imperium Arabicum et librum conscripsit, c.t. *Liber medicamentorum simplicium et alimentorum*; quadrinquentæ circiter res insunt auctoribus Græcis ignotæ; inter novas plantas magni momenti erat canna saccharifera. Saccharum solum efferebatur in imperio Arabico et maximo pretio vendebatur in Occidente, ubi tantum apud pharmacopolas inveniebatur.

CHARTA

Magna res evenit nono sæculo: charta enim tum in imperio Arabico ad scribendum adhiberi coepit. Charta iam ante multa sæcula in Sinarum imperio erat in usu; antiquissimæ chartæ reliquæ, quæ ibi inventæ sunt, pertinent ad primum sæculum a.Ch.n. Cum Arabum exercitus medio octavo sæculo usque ad limitem Sinarum imperii invictus pervenisset, proelio anno 751 ad oppidum Talas commisso, Sinenses victi sunt et multi captivi ab Arabibus retenti sunt, inter quos chartæ fabricationis periti, qui hanc artem victores docuerunt.

Chartæ usu scientiæ in imperio Arabico florent; earum ætas aurea, nono sæculo incohata, usque ad tertium decimum sæculum continuatur. A tertio decimo sæculo ad quintum decimum sæculum earum impetus multis in regionibus frangitur bellis, in Hispania cum christianis, in Sicilia cum Normannis, in Proximo Oriente cum crucesignatis et in Persia cum Mongolis; supersunt tamen nonnullæ sedes industriæ, Marrochia in Maroco, Caire in Ægypto, Damasci in Syria et Maracandis (*Samarcande*) in Sogdiana (*Ouzbekistan*). ↗

(Continuabitur)

1. Ea de causa librum scripsi c.t. *De Romano imperio orientali* (ed. Melissa, 2013).

2. Mazdeismus: primitiva Persarum religio Indo-Europæa a Zoroastra reformata est et mazdeismus vocata a nomine supremi dei, quod est Ahura Mazda. Ignis colitur ut symbolum divinum. Est religio monotheista, sed cum dualismo, id est prælio boni et mali. Finis temporis est victoria Ahuræ Mazdæ contra malum. Avesta est liber sacer mazdeismi. Mazdeismus est religio publica ab initio Sassanidarum regni (Ardachir I, 224-241).

3. Jacqueline Chabbi, *Le Seigneur des Tribus*, Paris, Noësis, 1997.

DISCIPLINA LATINITATIS VIVÆ QVID SIBI PROPONAT, LINGVAMNE VIVIFICANDAM AN HUMANITATEM PROPAGANDAM

– *scripsit Alexius Slednikov –¹*

Annis 2013°-2014° in periodico c.t. ‘Melissa’ haud pauca disputata sunt de Latinitate viva, quare colenda esset, utilitatis causa an humanitatis. Quæ contentio initium sumpsit ab acroasi Aloisii Miraglia «De causis corruptæ institutionis Latinæ», quam ille vir humanissimus paulo ante Amstelodami fecerat.²

Argumenta autem Aloisii Miraglia, qui fassus esset se linguam vivam non amare, sed diligere linguam mortuam, tunc temporis solitæ Latinitatis doctrinæ convenire videbantur. Revera Latinam linguam ianuam esse dixit ad nonnullorum millenniorum scripta intellegenda, id quidem esse emolumentum eius maximum (*Mrgl.*). Eos autem circulos Latinos, in quibus sola viva vox exerceretur, esse reprehendendos (*Mrgl.*).

Quibus prolati Gaius Licoppe utilitatis linguæ Latinæ defensor acerrimus commentationem apologeticam in periodico suo divulgavit qua lectores lecturesque ea admonuit quæ Latinitatis vivæ conventus Avennicus I^{us} anno 1956° habitus primum omnium sibi proposuisset. Id est studium ponderis linguæ Latinæ, quantique esset momenti hac ætate recentissima, ac conata reviviscendi eam ad gentes inter se iungendas. Idemque verbis Iohannis Capelle commonet, quanti sit ponderis institutio linguæ Latinæ quam Academica tam scholaris ad rem scientificam bene gerendam, quantoque eandem secundum rationes docendi naturales renovare iuvet (*Lic. Stat. 1*).

Opprobria autem Aloisii Miraglia erga circulos Latinos, cum præalentibus de rebus cottidianis colloquiis scripta legenda nequaquam negleguntur, iniusta esse aestimat. Immo vero, quoad circulum v.g. Bruxellensem, auctoribus et antiquis et posterioribus tractandis semper locus datur (*Lic. Stat. 2*).

Itaque hac contentione habita offertur occasio inspiendi initia, propositum progressumque linguæ Latinæ vivæ. Quam disciplinam nonnulli viri mulieresque, inter quos P. Cælestis Eichenseer, Gaius Licoppe et Sigrides Albert numerantur, mediante sæculo XX°, celebrato Viventis Linguæ Latinæ causa Conventu Avennico I°, ortam esse censem (*Lic. ALF 17; Stat. 1*). Sed mea quidem sententia lingua Latina viva haud serius quam extremo sæculo XIX° quo prima exstante conata de usu Latinitatis in Europa restituendo, orta est. Iam enim annis prioris sæculi 30^{is} in commentariis periodicis illius ætatis locutiones ‘lebendiges Latein (i.e. lingua Latina viva)’ (*Soc. Lat. 4, 71*), ‘Latinum vivum’ (*Soc. Lat. 5, 46*), ‘Latino vivente’ (*Soc. Lat. 7, 16-17*), ‘die moderne Lateinbewegung’ (*Soc. Lat. 1, 13; 15; 15, 1; 16, 1; 17, 1; 18, 1*) oculis occurunt. Quæ quoque

sententia confirmari videtur verbis Valahfridi Stroh Monacensis;³ sed etiam Alexius Scatebranus (qui et Solopov) Rutenus illud sæculum XIX^{um} extreum expoit ut tempus quo et studium Latinitatis gentium inter se iungendarum auxerit, et usus periodicorum Latinorum sit restauratus.⁴ Primum autem periodicum quod a proposito Latinitatis vivæ nequaquam distabat ‘Alaudæ’ fuisse feruntur quæ annis 1889°-1895° in Italia a Carolo Henrico Ulrichs (1825°-1895°) iuris consulto Germano in lucem edebantur.⁵ Cuius voluntas in usum linguæ Latinæ inter gentes propagandum iam patuit ex, ut ipsius utar locutione, ‘sententia vexillari’ quam inde ab anno 1889° cuiusque fasciculi titulo addere coepit: «Linguæ Latinæ mira quædam vis inest ad jungendas nationes». Profecto autem Ulrichs qui usui linguæ Latinæ sua ætate restituendo studeret, ad normam Neolatinam, quæ dicitur, creandam est coactus. Quod cum ita esset, auctores optimos imitari conatus est in novis quoque, ubi res postularet, verbis fingendis, ex. gr.: ‘capsa epistolis recipiendis’, ‘statio viæ ferratae’, ‘inflammaculum’, ‘tabacum tortile’. Eas quidem rationes novorum verborum componendorum quas secutus est, in epistula ad editores periodici Oxoniensis c.t. ‘Phœnix seu nuntius Latinus internationalis’ die 18° m. Apr. a. 1890° missa patefecit.⁶ At iam proximo anno 1891° Æmilius Chatelain Francogallus illius ‘Phenicis’ mentionem fecit in proœmio lexici Francogallico-Latini, auctore Ludovico Quicherat. Æmilius autem Chatelain etiam id æstimavit quanti essent ponderis talia similiaque incepta⁷ quorum propositum mirum in modum tunc temporis simile fuit ac propositum societatis ‘Vitæ Latinæ’ plus quam semisæculo post.

Nec vero alii defuerunt viri docti eiusdem mentis. Hermannus v.g. Diels præclarus philologus Germanus eam linguam Latinam qua Keplerus, Leibnitius, Linnæus Gaussque nova florentes ætate scripserant, eamque quæ adhuc permanebat lingua sacralis Ecclesiæ Catholicæ, æque ad commercium recentiorum quoque eruditorum aptam esse censuit.⁸ Porro vitalitatem linguæ Latinæ, nec tamen illius humanistarum excultæ sed simplicioris, Carolus André Francogallus in opusculo c.t. ‘Le Latin et le problème de la langue internationale’ anno 1903° divulgato declaravit. Eodem tempore concivis eius Iohannes Renatus Aubert sententias fere centum hominum rogavit de eo, num Latina lingua denuo universalis fieri posset.⁹

Die autem 16° m. Apr. a. 1903° quidam conventus Latinus Romæ habitus est cui nonnulli illius temporis

philologi præclarci, inter quos Angelus de Gubernatis, Angelus Valdarnini, Iacobus Tasset Iosephusque Fornari numerabantur, interfuerunt. Qui conventus, quamquam haud magni in universum momenti ad rem Latinam illo tempore promovendam fuisse videtur, edictis tamen votis certa iecerat fundamenta quibus ædificium Latinitatis vivæ post alterum bellum mundanum construi cœptum est:

«1. ut sermo latinus inter gentes universas communis habeatur et adhibeatur ad humanitatis commercium fovendum, augendum, tenendum;

2. ut collegia cœtusque doctorum acta sua, compendio saltem, latine patefiant;

3. ut universi discipuli sermonem latinum ad colloquia advenarum peregrinorumque conversationem interrogantium vel sciscitantium in ludis etiam primariis discant;

4. ut ad hoc propositum facilius assequendum libelli de rebus quotidiani usus a peritis pura lucidi terisque scribantur» (*Lurz Mot.* 10).

Paucis decenniis post, id est prima sæculi xx^o parte, ad linguam Latinam in Europa propagandam maxime contulerunt Cervariensis Academia et Societas Latina Monacensis. Inter Cervarienses autem magistros eminebat P. Emmanuel Jové (1895^o-1936^o) qui disciplinam Latinitatis vivæ apud Hispanos fundavit. Idem amore Latinitatis animas alumnorum qui in lingua ediscenda celerrime progredientes collegas eius atque in studiis Neolatinis suscipiendis coactores paulatim facti sint, inflammare sciebat (*Sdr.* 135).¹⁰ Inter hos discipulos iam decenniis post Pres Iosephus Maria Mir (1912^o-2000^o)¹¹ et Iosephus Jiménez Delgado (1909^o-1989^o) optima fruebantur fama.¹² Pater autem Emmanuel Jové Cervariam antequam migravit, in commentariis periodicis q.t. ‘Alma Roma’ (1914^o-1942^o) symbolas habuerat divulgas cumque Iosepho Fornari (1868^o-1942^o) ‘Almæ Romæ’ moderatore,¹³ H.M. Iacobelli, Iacobo Tasseto,¹⁴ P.re Andrea Avenario (1885^o-1970^o) commercio usus erat epistulari,¹⁵ in quibus epistulis inter se datis ii omnes de novis verbis fingendis sæpiissime disseruerant. At culmen P.ris Emmanuelis in lingua Latina docenda promovendaque inceptorum fundatio duorum fuit periodorum q.t. ‘Candidatus Latinus’ (1928^o-1930^o) et ‘Palæstra Latina’ (1930^o-1975^o). Denique eodem anno 1930^o una cum Pre Francisco Morán necnon alumnis haud paucis Scholam Latinitatis Claretianam instituit. Sed bellum civile maximam intulit calamitatem Latinistis Claretianis qui P.re ipso Emmanuele inclusio die 26^o m. Iul. a. 1936^o martyrium propter Christi doctrinam obirent.¹⁶

Illam autem quam memoravi Societatem Latinam Monacensem die 4^o m. Maii a. 1932^o Georgius Lurz (1873^o-1946^o)¹⁷ condiderat, eiusque præses Hermannus Weller (1878^o-1956^o) præclarus poeta Neolatinus¹⁸ fuerat. Cui plerumque sacerdotes, magistri gymnasiorum, iuris consulti et medici nomina dabant, at numerus

sodalium decursu annorum variebat: 630 (m. Oct. a. 1932ⁱ), 900 (m. Dec. a. 1941ⁱ), 950 (m. Dec. a. 1942ⁱ), 360 (vere a. 1955ⁱ).¹⁹

Societas autem Monacensis ad eas quæstiones fuse lateque tractandas incubuit, lingua internationalis auxiliaris qualis fieri deberet et Latinitas ad hoc propositum quomodo accommodari posset. Omnes quidem harum rerum inquisitiones omniaque linguae Latinæ reviviscendæ conata in paginis periodici eodem nomine appellati exponebantur usque ad annum 1955^{um} quo utraque extincta est.²⁰

Pauca quoque addam de Societate linguae Latinæ usui internationali adaptandæ quæ auspiciis Thaddæi Zelinski anno 1931^o Varsaviæ condita est. Qui Poloni annis 1930^{is} admonuerunt editores periodici c.t. ‘Alma Roma’ ut omnium gentium collegium lexico recentis Latinitatis componendo constitueretur, nec vero Itali illud consilium approbaverunt.²¹

Hæc autem Polonorum societas periisse videtur ingruente altero bello mundano²² quod maximum toti fere orbi terrarum detrimentum attulit. Attamen ex eodem bello atrocissimo et nova ideologia gentium inter se consociandarum, et voluntas cuiusdam «Domus paneuropææ» construendæ sunt exortæ. Quæ domus, id quod viri docti hortari non desinunt, ædificari nequit nisi firmo humanitatis fundamento substruendo. Humanitatem quidem Europæ a Græcorum Romanorumque cultu civili initia sumere, nemo est quin intellegat.

Itaque priores in civitatibus occidentalibus de usu Latinitatis restituendo conatus inde a mediatis annis 1950^{is} magis magisque multiplicari cepti sunt. Interea problema multilinguismi quo commercium scientificum impediretur emersit. Quam quæstionem perdifficilem Iohannes Capelle Francogallus Nanceiensis anno 1952^o tractavit in symbola «Le Latin ou Babel».²³ Qui, cui viri docti ad nullum huius ætatis sermonem pro certo suffragari viderentur, solum multilinguismi remedium linguam fieri æstimavit Latinam, eandem tamen ad condiciones nostræ ætatis aptandam ac vivo modo, veluti sermones Europæos, docendam (*Lic. ALF* 17-18).

Qua autem symbola in lucem edita lata exorta est disputatio quam non solum philologi ipsi classici aliarumque artium periti, verum etiam nonnulli quoque politici participaverunt. Porro Viventis Linguae Latinæ causa Conventus Universus anno 1956^o Avennione habitus 250 viros ex 21 civitatibus in unum congregavit, at inter particeps A. Bacci, Æ. Springhetti, I. Eberle, I.M. Mir, I. Jiménez Delgado, G. Pacitti, R. Avallone, C. Egger, A. Thierfelder (sive Theragrus), A. Grisart, aliique haud pauci fuerunt viri illustres. Vota autem quæ conventu peracto edicta sunt, ad quinque spectaverunt themata linguae Latinæ vivificandæ et rationum docendi renovandarum.

Illum primum conventum Avennionensem secuti

sunt alii quattuor: anno 1959° Lugduni, anno 1963° Argentorati, anno 1969° iterum Avennione, denique anno 1972° Pali, quibus habitis hic Latinitatis vivæ ramus Francogallicus extinctus est.²⁴

Ceterum inde ab anno 1966° simul cum ‘Vitæ Latinæ’ conventibus alii quoque instituebantur conventus, iisque auspiciis Instituti Romanis studiis provehendis Romæ (a. 1966°), Bucurestiis (a. 1970°), Melitæ (a. 1973°), Dacariæ (a. 1977°), Augustæ Treverorum (a. 1981°), Dunelmi (a. 1985°), Erfordiæ (a. 1989°), Lovanii et Antverpiæ (a. 1993°), Granivici (a. 1997°), Matrii (a. 2002°), Reginis Castris (a. 2009°) et Vindobonæ (a. 2013°). Inter conventum autem Romanum eodem anno 1966° Collegium Latinitati inter omnes Gentes Fovendæ constitutum est tribus annis post ad Academiam reformatum.

Quid tamen interest inter conventus ‘Vitæ Latinæ’ et Academiæ Latinitati Fovendæ? In prioribus conventibus Francogallicis plerumque de usu linguae Latinæ restituendo deque novis fingendis verbis agebatur quod Latinitatis vivæ propositum primigenium in posterioribus conventibus «Romanis» paulatim in linguam Latinam humanitatemque promovendam versus est, idque etiam nomine quod his conventibus consuetudine datur patet: «Omnium gentium ac nationum Latinis litteris linguaeque fovendis conventus». Quam inclinationem quæ inter conventum Bucurestensem oculis subiecta est Iacobus Borovius (tunc temporis Leninopolitanus) unus participum his patefacit verbis: «Hic quidem conventus maxime contulit ad notitiam ‘humanitatis’ aperiendam ac revelandam, quam humanitatem auctores optimi excoluisserint, quaque posthac scriptores et mediae ætatis et litterarum renatarum inspirati essent; id quod prima votorum paragrapho indicatum est».²⁵

Qua tamen in commentatione Iacobus Borovius nullam proh dolor mentionem facit cuiusdam eventi relatu digni, quo mea quidem sententia plane ostenditur quam incerta sit recentissimorum memoria. Nam inter conventus particeps solus tantum teste P.re Cælesti Eichenseer fuit Monacensis, idemque studiosus, cum philologi ipsi Bavari Latine loqui insanum impossibileque esse arbitrarentur (*Eich. Buc.* 22). Quod vero pro illo tempore, anno scilicet 1970°, Societate Latina Monacensi ante quindecim omnino annos sublata, vix credi potest.²⁶

Itaque appetet nonnullas quoque discordias quæ non externis exstant condicionibus, sed propter ipsos potius fautores qui præcepta Avennica Lugdunensiaque observare sive cunctentur sive nollent, a motu Latinitatis vivæ non esse alienas. Semina malorum vergentibus annis 1960^{is} sata esse videntur, cum in Academia condenda propositum Latinitatis vivæ primigenium sit neglectum²⁷ neque normæ certæ quibus sodales cooptarentur statutæ sint. Haud raro enim viri docti iidemque magni nominis cooptabantur, qui

tamen nec Latine loqui nec scribere sciebant Latinitatemque ipsam vivam neglecebant (*Lic. ALF* 403).²⁸ Itaque in acroasibus faciendis et in litteris administrativis componendis sermones iam prævalebant nationales (lingua præcipue Italica), quod ab anno 1989° usque ad annum 2003^{um} pæne usitatum factum est.²⁹ Insuper inter 15^{am} sessionem Academiæ Latinitati Fovendæ anno 1995° habitam perseverante Italorum factione præsidem semper Italum eligendum est decretum (*Lic. ALF* 286).³⁰

Itaque Academia augescente grapheocratia³¹ in ea musea paulatim vertebatur haud pauca, ubi viri docti ad philologiam classicam et historiam Europæ quam antiquam tam postantiquam et culturologiam investigandam incumbentes Latinam linguam adhibere sciunt non in usu sermonis, sed quodam coartato modo.³²

Quæ autem condicio tantum præside Tuomone Pekkanen Finno (2003°-2010°), qui usum unius linguae Latinæ restitueret, in meliorem conversa est, idemque usus linguae Latinæ perpetuus etiamnunc præside Theodorico Sacré Belga servatur.

Ut ad initium revertar commentationis, ad illam scilicet contentionem quantopere proposita Latinitatis vivæ inter se consentiant, mihi quidem inter omnes sententias in ‘Melissa’ expositas³³ ea maxime placet quam Christianus Laes protulit. Nostris, inquit, temporibus iam diu non valet ista utilitas linguae Latinæ quæ nusquam in publico neque in vita cottidiana pro necessario habeatur. Quamquam, addit, usque ad medians sæculum xx^{um}, id est diebus illius conventus Avennici, nemo iuvenum Belgarum linguam Latinam neglegentium ad studia Academica suscipienda admitti solitus erat, hæc tamen condicio est paucis annis post sublata (*Laes* 2).³⁴ Itaque pondus commodaque Latinitatis hac nostra ætate non utilitate videlicet perditæ confirmanda esse, sed eo potius argumento quod cultui Europæorum humano civilique sit fundamento, quodque – id quod Aloisius ipse Miraglia indicavit – ad illam *rem publicam litterarum* ingrediendam sit necessaria. Scientiam cuiuspam linguae non solum ad loquendum et scribendum pertinere, aliud hac locutione in glottologia, aliud in philologia significari. Hanc autem scientiam philologorum litterarum renatarum ætate, cum humanistæ auctores optimos interpretantes studia humanitatis coluerunt, initium sumere. Itaque Aloisium Miraglia partim recte illam reprehendere consuetudinem sermocinandi de Coca Cola aliisque rebus huius ætatis, quæ consuetudo multum a vera scientia linguae Latinæ distet (*Laes* 3, 2).

Nihilominus, inquit, verbis Aloisii Miraglia quoddam latet periculum, cum enim sola illa traditio litteralis respicitur et Romanorum et Europæ Latinæ, exstat periculum, ne lingua Latina magis magisque coartetur (*Laes* 3). Ei prorsus assentior: si nos quidem Latinam esse linguam veram credimus, quam ad commercium doctorum inter se habendum aptam tam ad recentissi-

mas vitæ condiciones exprimendas validam, quæcumque usus coartatio esset dubitativa quin etiam a natura ipsius linguæ abhorri videtur. Attamen id opus humanisticum quod Aloisius Miraglia faciendum suscepit vix, ut puto, æstimari debet ex proposito Latinitatis vivæ primigenio, quod fortasse propositum a multis adhuc pro principali habetur. Econtra Latinitatem vivam nequaquam sui esse iuris censem, sed viam modo ad humanitatem cognoscendam et ad animos iuvenum informandos.

His autem nostris diebus, cum post conventum Avennicum I^{um} iam sexaginta transierunt anni, id quod disciplina Latinitatis vivæ ab initio sibi proposuerat, ex parte tantum perfectum esse videtur. Quos tamen progressus partiales Alexius Scatebranus (qui et Solopov) Rutenus conspiciens novam propriamque Latinitatis traditionem declarare audet ex qua sæculo XX^o non tam ut lingua historiæ diuturnæ quam ut instrumentum rerum ætatis nostræ reddendarum apparuit.³⁵

Attamen ipsum propositum linguæ Latinæ inter gentes reflorescendæ, ut prioris fuerit auctoritatis, proh dolor in irritum cecidit. Quod lingua Anglicæ ubique in politicam, œconomiam artesque regnat, non tanti momenti esse videtur quam quod homines huius ætatis antiquitatem Græcorum Romanorumque non iam exemplum, ut olim erat, intuentur. Sed cum res ita sint, non desunt quædam emolumenta. Revera in civitatibus occidentalibus ubi translatio utriusque linguæ atque humanitatis in universum servata est, philologia Neolatina mediante sæculo XX^o orta est quæ iis scriptis studet investigandis, quæ inde ab ætate litterarum renatarum in lucem prodierant. Etiam lexicographia eodem præterito sæculo ad Latinitatem singularum Europæ gentium conversa est.³⁶

Denique in arte didactica recognita est annis 1960^{is}-1970^{is} opinio qua lingua Latina quæ antea angustiis solius antiquitatis Romanæ pressa nunc habetur pro disciplina principali *traditionis paneuropææ*, qua discipulis acquiratur facultas ad historice communicandum, id quod Andreas Fritsch Theodisce nominavit ‘die Befähigung zur historischen Kommunikation.’³⁷ Anno autem 1973^o inter conventum Societatis internationalis studiis Neolatinis provehendis Amstelodami habitum Manfredus Fuhrmann acroasin fecit c.t. «Utrum Cæsarem an Erasmum legamus», qua admonuit ut et Erasmi ipsius Roterodami et aliorum quoque humanistarum opera quæ ad humanitatem Europæ cognoscendam maxime conferrent, magis respicerentur legenda.³⁸

Hæc igitur facultas ad historice communicandum auctoribus in institutione Latina legendis acquiritur quam Romanis tam posterioribus Europæis; ipse Andreas Fritsch propositum linguæ Latinæ hoc nostro tempore docendæ in eo esse æstimat, ut discipuli scripta tam antiqua quam postantiqua, huius quoque ætatis, convertere sciant.³⁹

Quam ob rem non plane assentior Gaio Licoppe qui

satis modicum Latinitatis vivæ eventum immutabilibus inertibusque docendi rationibus tribuit (*Lic. Stat.* 1). Nam magistri linguæ Latinæ non iisdem in librorum et programmatum institutorum angustiis versari videntur; dum in Belgio severioribus institutio-nis inspectorum præceptis parere debent,⁴⁰ in Germania⁴¹ necnon in Civitatibus Fœderatis Americæ⁴² maiore quadam docendi libertate fruuntur. Sed certe methodus ista naturalis solitas linguæ Latinæ docendæ rationes immutare non valuit, itaque Latinitas viva indirecta, præsertim extra muros scho-lares academicosque, vulgatur.

Ista igitur, ut concludam, humanitas ad studium litterarum quam antiquarum tam posteriorum (cfr. *Lic. Hum.* 1), id est mediævalium, renatarum recentiorumque nunc pertineri declaratur, quæque æqui esse momenti videtur atque usus ipse linguæ Latinæ restituendus, propositum disciplinæ primigenium. ☩

COMPENDIA COMMENTATIONIS

Ald. – V. Stroh (ed.), Alaudæ: *Eine lateinische Zeitschrift 1889-1895. Herausgegeben von Karl Heinrich Ulrichs*, Hamburg, 2000.

Dlg. – J. Jiménez Delgado, «Lingua Latina iterum universalis deveniat oportet», *Palæstra Latina*, 156, p. 193-202.

Eich. – C. Eichenseer, «De Conventu Bucurestiensis», *Vox Latina*, 22, p. 19-36.

Laes – C. Laes, «De hodierno Latinitatis vivæ statu sive de dissensione evitanda», *Melissa*, 178, p. 2-4.

Lic. ALF – G. Licoppe, *Academia Latinitati Fovendæ: eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*, Bruxellis, 2014.

Lic. Stat. – G. Licoppe, «De hodierno Latinitatis Vivæ statu», *Melissa*, 177, p. 1-2.

Lurz Mot. – G. Lurz, «Die moderne Lateinbewegung», *Societas Latina*, 15, p. 1-22.

Lurz Per. – G. Lurz, «Lateinische Zeitschriften», *Societas Latina*, 3, p. 33-38.

Mrgl. – Aloisii Miraglia oratio de causis corruptæ institutionis Latinæ (Malacæ a. 2014 habita) a sodalibus Circuli Gaditani exscripta atque annotationibus et indice nominum ab Alexandra Ramos instructa.

<http://www.salmusarum.com/actividades/exercitaciones/aloisii-miraglia-orationis-de-causis-corruptæ-institutionis-latinae-malacæ-2014-transcriptio-annotationis-circuli-et-indice-nominum-locupletata/> (Hæc tamen acroasis Malacana et illa Amstelodamensis paulum inter se differunt).

Sdr. – J. Sidera, «Servus Dei Pater Emmanuel Jové, C.M.F», *Palæstra Latina*, 175, p. 135-142.

Soc. Lat. – *Societas Latina: Periodicum societatis eodem nomine appellatae*, Monachii, 1932-1955.

QVÆSTIONES LATINÆ

1. Hæc acroasiacula inter sessionem Circuli Latini Bruxellensis die 28^o m. Maii a. 2016^o habitam est prolata.
2. Quæ Aloisii Miraglia acroasis spectari et auscultari potest hoc loco: https://www.youtube.com/watch?v=_OyhWKTmJBo. De Abele Schutte, qui Athenæum Illustræ Amstelodamense condidit, vide G. Licoppe, «Deceptus gymnasio», *Melissa*, 174, p. 1.
3. Ecce eius fortasse solus qui omnino exstat terminus Latinitatis vivæ: «Wo nun ... seit Ende des 19. Jh., auch durch Lateiner außerhalb von Schule, Universität und Kirche, die Sprache Ciceros und Vergils praktisch geübt und kultiviert, ja als (oft internationales) Kommunikationsmittel genutzt ... wird, bezeichnet man dies ... als 'lebendiges Latein' (seit dem Kongress von Avignon 1956 häufig auch als 'latin vivant', daneben 'living Latin' und bes. *Latinitas viva*)» (W. Stroh, «Lebendiges Latein», *Der Neue Pauly: Rezeptions- und Wissenschaftsgeschichte*, Bd. 15, Stuttgart/Weimar, 2001, S. 93).
4. A. Solopov, *Natkhala latinskoi stilistiki* [=Alexii Scatebrani Ruteni initia eloquentiæ Latinæ], Moskva, 2008, p. 598.
5. De quo viro eiusque incepto plura invenies hic: V. Stroh, «De Carolo Henrico Ulrichs Latinitatis reviviscentis auctore», idem (ed.), *op. cit.*, p. v-xv; idem, «Karl Heinrich Ulrichs als Vorkämpfer eines lebendigen Latein», W. Setz (ed.), *Karl Heinrich Ulrichs zu Erben: Materialien zu Leben und Werk*, Hamburg, p. 81-92; V. Jenniges, «Alaudæ iterum cantant», *Melissa*, 125, p. 4-7; M. Hirschler, «De Carolo Henrico Ulrichs qui magis fecit quam ut revivisceret lingua Latina», *ibid.*, 192, p. 8-9.
6. Vide *Ald.* 91,97-98.
7. Quæ Æ. Chatelain verba Francogallice prolata a G. Licoppe Latine redditæ sunt; vide *Lic. ALF* 17-18.
8. Vide acroasin eius c.t. «Leibniz und das Problem der UniversalSprache» a. 1899^o divulgatam. Idem tamen septem annis post in acroasi c.t. «Internationale Aufgaben der Universität» linguam Latinam pronuntiatibus haud parvum inter se differentibus ad commercium virorum doctorum non iam aptam esse autmans sententiam mutavit: Lurz 1949, 8, II. Id autem pronuntiatius Latini problema, quod tunc omnino non tanti esse ponderis videbatur (nec vero nunc videtur), inter Conventum Avennicum a. 1956^o habitum solutum est.
9. G. Lurz, «Die moderne Lateinbewegung», *Societas Latina*, 15, p. 6.
10. De P.re Emmanuele Jové vide J. Sidera, *op. cit.*; A. Avenarius, «De amico nostro R.P. Emmanuele Jové C.M.F.», *Societas Latina*, 4, p. 49-50.
11. De eo vide G. Licoppe, «Inter eximios Latinitatis vivæ fautores: Iosephus Maria Mir», *Melissa*, 19, p. 3-4; *ibid.* 21, p. 5-6; *ibid.* 23, p. 3-5. Laudationes funebres: C. Eichenseer, «Iosephus Maria Mir vita functus», *Vox Latina*, 36, p. 299-301; C. Pavanello, «Iosephus Maria Mir de vita decessit desiderium sui apud amicos relinquens», *Latinitas*, 48, p. 172.
12. Laudatio funebris: C. Eichenseer, «In memoriam inclutam Professoris Patris Iosephi Jiménez Delgado», *Vox Latina*, 25, p. 394. Collectanea: J. Jiménez Delgado, *Latine scripta: Disquisitiones ad humaniorum litterarum cultum*, Matriti, MCMLXXVIII.
13. De quo viro pauca invenies hic: S. Romani, «De commentariolo Alma Roma inscripto», *Latinitas*, 1, p. 12-13.
14. De quo viro nonnulla invenies hic: G. Lurz, «De variis dicendi generibus», *Societas Latina*, 4, p. 34-35.
15. De eo vide E. Jové, «Andreas Avenarius», *Palæstra Latina*, 2, p. 23; J. Sidera, «De Patris Andreae Avenarii iubilæo sacerdotii ante quinquaginta annos suscepti», *Palæstra Latina*, 30, p. 37-38. Laudatio funebris: C. Eichenseer, «Memoriae perenni Patris Andreæ Avenarii, sodalis Societatis Divinæ», *Vox Latina*, 22, p. 74-77 (ibidem index operum eius Latinorum subiunctus est).
16. Plura vide I.M. Mir, *Nova verba Latina*, Barcinone, 1970, p. 8; idem, «Laudemus gloriosam Martyrum mortem», *Palæstra Latina*, 175/176, p. 133-134; J. Aramendia, «Dulce et decorum est pro Christo mori!», *ibid.*, p. 143-150. De studiis Latinis a Cleretianis susceptis vide: J.M. Jiménez, «Quantum Claretianni litteris Latinis dederint operam», *ibid.*, 33/34, p. 123-127. Denique nonnulla de P.re Emmanuele Jové, de commentariis periodicis q.t. 'Candidatus Latinus' ac 'Palæstra Latina' et de eo, quomodo in Cervariensi Academia linguam Latinam docuerint, Hispanice exposita invenies hic: A.L. Porredon, «L'ensenayment secundari a Cervera durant el période Claretià», *Palæstra Universitària*, 19, 249-316.
17. Parva eius laudatio funebris hoc continetur commentariolo: E. von Welz, «Sodalibus nostris benevolis», *Societas Latina*, 13, p. 1.
18. De quo viro vide U. Dubielzig, «Die moderne Königin der Elegien. Hermann Wellers Gedicht >Y<», E. Keßler, H.C. Kuhn (ed.), *Germania latina - Latinitas teutonica: Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit*, Bd. 2, München, 2003, p. 855-878.
19. Vide *Soc. Lat.*, 1932, *ibid.* 5; 1943, *ibid.* 1; 1955, 1.
20. Societatem Monacensem extinctam esse sodalibus lectoribusque postremo periodici fasciculo a. 1955^o in lucem prodito nuntiatum est. Variae sublationis causæ allatæ sunt in quibus et magna deminutio sodalium qui sive mortui essent sive domo emigrant sive in Democratica Re Publica Germanica iam dehinc viventes a stipe conferenda impediretur, et inopia rei pecuniarie, et deminutio commentationum Latine consribendarum, etc.: E. von Welz, «Zum Abschied», *Societas Latina*, 21, p. 1-3. Plura de Societate Latina Monacensi invenies hic: G. Lurz, «Wozu eine Societas Latina?», *Societas Latina*, 1, p. 1-4; J. Lamer, «De 'Societate Latina' quæ floret Monaci (Bavarorum)», *Palæstra Latina*, 43, p. 128-129; R. Lather, «Latein als Weltsprache im 20. Jahrhundert. Karl Flesch's Ferocia Latina (1942) und die Münchener Societas Latina», S. Tilg, I. Walser (ed.), *Der neulateinische Roman als Medium seiner Zeit. The Neo-Latin Novel in its Time*, Tübingen, 2013, p. 229-242.
21. Poloni autem cum Italis his agebant verbis: «Imprimis maximi momenti esse putamus comissionem philologorum internationalem constitui, quæ linguae Latinae glossarium ad usum horum novorum temporum componat.» Sed horum responsum nimis superbum fuisse videtur: «... In hoc unice insistere liceat, nempe ut cœtus, de quo agitur, ex authenticis – sit venia verbo – Latinae linguae peritis constet, quorum sapientia, rerum cognitio atque exercitatio satis præstant, ipsos revera ad restituendum Latini sermonis commercium esse intenturos; sermonem dicimus cum sæculari structura sua, peculiari bus suis notis atque, ut ita dicam, immunitatibus, et quidem vocabulis suis, scilicet non peregrinos effingendo, quum non sit necessitas» (Lurz *Per.* 34).
22. Plura de Societate Varsaviensi vide hic: J. Jiménez Delgado, «Per orbem: Societas Latina Varsaviae constituta», *Palæstra Latina*, 16, p. 121.
23. Cui occasu id indirecto esse testimonio videtur quod illa 'Lygia': Commentarii Societatis linguae Latinae usui internationali adaptandæ per octo tantum menses, id est ab Oct. a. 1938ⁱ usque ad Jun. a. 1939ⁱ, in lucem edebatur. Hi tres fasciculi in pagina <http://jbc.bj.uj.edu.pl/dlibra/publication?id=338704&tab=3> sub forma PDF exponuntur.
24. Inter ceteras societates quæ ante alterum bellum mundanum linguae Latinae studuerunt promovendæ, Union Médicale Franco-Ibéro-Américaine (UMFIA) in Francogallia et Istituto di studi Romani in Italia florentes commemorari debent. Plura vide hic: G. Lurz, «Von der Lateinbewegung in Frankreich», *Societas Latina*, 1, 13-15; E. von Welz, «Von der Lateinbewegung in Italien», *ibid.*, p. 15-17; G. Lurz, «Von der Lateinbewegung in Italien», *ibid.*, 3, p. 2-6.
25. Vide: J. Capelle, «Le latin ou Babel», *Bulletin de l'Éducation Nationale*,

QVÆSTIONES LATINÆ

- 23, 10, p. 1-2; *Premier Congrès International pour le latin vivant*, Avignon, 1956, p. 10-11. Versio Anglica a. 1953ⁱ: J. Capelle, «Latin or Babel», *The Classical Journal*, 49/1, p. 37-40.
24. Iohanne Capelle aliud rei publicæ munus anno 1961^o ingresso novus consociationis ‘Vitæ Latinæ’ præses factus est Petrus Grimal, cuius electio initium fuisse dolorum videtur (*Lic. ALF* 39, 53). Eodem incitante commentarii periodici q.t. ‘Vita Latina’ ad Francogallice componendum magis magisque tendebant, de qua re plura invenies hic: C. Desessard, «De Vitæ Latinæ novissima abiectione», *Latinitas*, 39, p. 41-53.
25. I. Borovski, «Latinski iazyk kak mejdounarodny iazyk naouki: k istorii voprossa», *Problemy mejdounarodnogo vspomogatel'nogo iazyka*, Moskva, 1991, p. 70-76.
26. Plura de conventu Bucurestensi vide hic: I. Coppa, «Bucarestinus conventus omnium gentium Latinis litteris linguaque provehendis», *Latinitas*, 18, p. 257-260; S. Felici, «De conventu omnium gentium Latinis litteris linguaque fovendis Bucurestis a die XXVIII mensis Augusti ad diem II mensis Septembris a. MCMLXX habito», *ibid.*, 19, p. 82-88; I.M. Mir, «Congressus Bucurestiensis de humanitate et latinitate», *Palæstra Latina*, 213, p. 25-32; C.A. Nurrus, «De conventu Bucarestini nuper habito observationes aliquot», *Vox Latina*, 22, p. 42-44; N.T. Piscator, «Qua sint Bucurestii sensibus animoque percepta», *ibid.*, p. 45-46; idem, «Ex Ponto...», *ibid.*, p. 46-49; U. Wankum, «Quenam circa conventum Bucurestii observaverim», *ibid.*, p. 50; N.A. Fedorov, «Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaque fovendis Bucurestii MCMLXX a die 28 mensis Augusti ad diem 3 mensis Septembri», A. A. Takho-Godi, I. M. Nakhov (edd.), *Voprossy klassicheskoi filologii*, t. 5, Moskva, 1970, p. 228-239.
27. Nec vero decenniis post cum statutum Academiæ reformaretur, usus lingua Latine pluris aestimabatur (*Lic. ALF* 171).
28. Ceterum quin tales viri docti ad linguam Latinam propagandam quidquid conferre valerent, P. Cælestis Eichenseer dubitabat; vide epistulam eius m. Martio a. 1990ⁱ ad nonnullos Academiæ Latinitati Fovendæ sodales missam (*Lic. ALF* 244).
29. Præsertim inter conventum Erfordiensem a. 1989^o celebratum voluntas linguarum nationalium adhibendarum manifestata est. Valahfridus autem Stroh cum a. 1997^o sermones in Academia regnantes barbaricos iniquo animo memoraret, id «das Zurückssinken ins Konventionelle» nominavit et quæsitivit: «wären wir mit unserem lebendigen Latein schon wieder einmal am Ende?» (W. Stroh, «O Latinitas! Erfahrungen mit lebendigem Latein und ein Rückblick auf zehn Jahre Sodalitas», *Gymnasium*, 104, S. 277).
30. E quo decreto, cum Tuomo Pekkanen Finnu a. 1998^o novus Academiæ præses elegi proponeretur, controversia orta est (*Lic. ALF* 304).
31. Quæ græpheocratia ex eo quoque patuit quod ab a. 1995^o ad a. 2012^{um} usque ordinarii Academiæ sodalibus nemo nisi professores cooptabatur (*Lic. ALF* 285). Nec præclara quædam in lingua Latina promovenda incepta multum iuverunt; sic exempli gratia a. 2006^o disputata sunt propter Doctrinem nec tamen Profestricem Sigridem Albert cooptandam (*Lic. ALF* 357).
32. Linguis autem nationales eo excusaverunt adhibendas, quod alii quoque viri docti historiæ archæologiæ iuris philosophiæ glottologiæ periti nec vero Latine loqui valentes, ad Academiæ conventus participandos invitentur oportuit (*Lic. ALF* 197).
33. Vide: G. Licoppe, «De hodierno Latinitatis vivæ statu», *Melissa*, 177, p. 1-2; C. Laes, «De hodierno Latinitatis vivæ statu sive de dissensione evitanda», *ibid.*, 178, p. 2-3; Y. Luttinen, «Rescriptum ad ‘De hodierno Latinitatis vivæ statu’», *ibid.*, 179, p. 3; B. Legranus, «Latinitas», *ibid.*, p. 3-4; S. Feye, «De bono siphonario», *ibid.*, p. 5-6.
34. In Francogallia autem lingua Latina usque ad a. 1968^{um} valuit, «cum ... iam non necesse [esset] Latine didicisse eis qui studia universitaria incohare [cuperent]» (*Lic. ALF* 102).
35. A. Solopov, *op. cit.*, p. 232.
36. Quibus censura datur hoc in libro: A. Solopov, *op. cit.*, p. 185-192. Idem autem A. Scatebranus (qui et Solopov) Rutenus in commentatione de lingua Latina Michaelis Lomonossovii mentionem facit vocabuli calculus cuiusdam significationis rarissimæ, quam ne ullo quidem mediae humanisticæ Latinitatis lexico contineri autumat: A. Solopov, «Latinski iazyk v jizni i tvorchestve Lomonossova», p. 3-4
<http://www.philol.msu.ru/~istlit2014/pdfs/solopov.pdf>.
 Cuius verbi proprietas fortasse in lingua Latina Russorum est posita, nec vero apud nos lexicon huius generis adhuc exstat.
37. A. Fritsch, «Die Didaktik des Lateinunterrichts in der Bundesrepublik Deutschland. Versuch eines kurzen Überblicks», *Forum Classicum*, 2, p. 88.
38. A. Fritsch, *op. cit.*, p. 85-88. Ipsam autem acroasin invenies hic: M. Fuhrmann, «Cæsar oder Erasmus? Überlegungen zur lateinischen Lektüre am Gymnasium», idem (ed.), *Alte Sprachen in der Krise? Analysen und Programme*, Stuttgart, p. 83-94. Ad quam disputationem hæc quoque symbola pertinet: S. Lauff, «Utrum Cæsarem an Erasmus legamus? (de scriptoribus primis in gymnasio legendis)», *Vox Latina*, 13, p. 66-70.
39. A. Fritsch, *Lateinsprechen im Unterricht. Geschichte - Probleme - Möglichkeiten*, Bamberg, 1990, p. 76. Eadem autem secundo quoque voto eius conventus, qui Lovanii et Antverpiæ a. 1993^o habitus est, patefaciuntur: 2. Etiamsi studium auctorum classicorum et est et erit fundamentum institutionis Latinæ, nihilominus etiam textus medioævales et neolatini discipulis et studiosis proponantur ut plenior species totius historiæ litterarum Europæarum usque ad nostra tempora percipiatur (*Lic. ALF* 269). Quod vero attinet ad scripta Latina in Universitatibus legenda, scientia utriusque lingua studiosorum, secundum schema examenandi a. 1982^o Berolini institutum, etiam ex scriptis ad 50 per centum postantiquis temptari licet, iis igitur quæ hac quoque nostra ætate extare non desinunt (A. Fritsch, *op. cit.*, p. 76).
40. Cfr. quæ G. Licoppe in epistula auctori huius symbolæ die 2^o m. Nov. a. 2015^o data scripsit: «De verbis Andreæ Fritsch hoc addere possum: in hac re Germania est felix. In Belgicis scholis, contra, neque licet viva ratione docere, neque scripta legere nisi antiqua. Institutionis inspectores nobis sunt maxime infesti.»
41. Quæ tamen condicio in unaquaque Germaniæ provincia variare videtur. Ipse V. Stroh, cum tota fere Bavarorum institutio Latina ad scripta Cesaris Ciceronis cognoscenda pertineat, «Goodbye Comenius» exclamat. Revera non solum bestiarum genus (cornix, agnus, cicada, upupa) in libro c.t. ‘Orbis sensualium pictus’ expositum, sed etiam munera hominum usitatissima (medicus), quæ in operibus utriusque auctoris vocabula rarissime inveniantur, ibi extra institutionem scholarem manent: W. Stroh, *Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer grossen Sprache*, Berlin, ³2007, p. 246-247.
42. Cfr.: Ea occasione comperimus Americanis docentibus multo maiorem esse libertatem in programmatibus methodisque eligendis, dum discipulos allicant quam plurimos. Alia res nobis mira: discipulos, quibus præter lingua Anglicam altera lingua sit eligenda, æque eligere posse lingua Latinam ac linguam vernaculam ut Hispanicam Francogallicamve... (*Lic. ALF* 298).

«SPONSI »

– *Alexandri Manzoni, quos proponit Francisca Deraedt* –

Sæpenumero audivi vitium litterarum Latinarum nostris temporibus in eo esse, quod plerumque vix quicquam divulgaretur, nisi translationes e vernaculis operibus factæ. Quod verum est aliquatenus, etsi adhuc rarissimi exstant auctores mira ubertate prædicti, ut est Stephanus Berard. Paucissimi tamen cum sint, ex ea novitatis egestate nonnulli coniciunt lingua Latinam nunc demum re vera languescere.

Liceat mihi, bone lector, huic iudicio contradicere translationisque virtutes hic, mox etiam egregio exemplo, totis viribus defendere. Primum enim translatio ars est peculiaris, exercitatio ardua, quæ, si palmaris evenit, lectori delectationem præbet haud mediocrem. Dein opera quædam non iam prostarent, nisi in Latinum aliquando essent conversa. Denique Latina translatio modus est eximius, quo litteras nobis extraeas inveniamus gustemusque. Quis enim tot linguas callere potest, ut litterarum monumenta in toto orbe exacta possit adire? Vertantur in Latinum, et nobis omnibus patebunt!

Hæ cogitationes iterum in mentem venerunt, cum mihi dono data sunt duo pulchra volumina, quibus continentur Alexandri Manzoni opera in Latinum conversa.¹ Nobis non Italis – exceptis hominibus doctis in quorum corona eheu non numeror – Alexander (*Alessandro*) Manzoni (1785-1873) fama magis est notus quam re. Scitur quidem eum magnum fuisse scriptorem eiusque nomen coniunctum esse cum Italiae adulatione. Num plura quævissem de illo præclaro auctore, nisi hi duo libri mihi essent oblati? Fatendum est me de hac re verisimiliter numquam cogitaturam fuisse. Et ecce alia virtus linguæ Latinæ, quæ nos impellit ad mentem semper alendam.

Inter eius opera tam numerosa quam varia, commemoranda sunt *Marzo 1821*, cohortatio ad Italiae unitatem, *Il Cinque Maggio*, religiosa historicaque meditatio de Napoleonis obitu, ac præcipue, cum de ea hic agatur, fabula romanica c.t. *I Promessi Sposi*, tam præclara ut compluries sit ad cinematuum et televisionem aptata. Auctor, qui Lutetiae diu versatus Francogallicam linguam magis callebat quam Italicam, ad rem poliendam sedem collocavit Florentiæ, ubi purissimus habebatur populi sermo. Initio enim sæculi undevicesimi, propter divisionem politicam pauci Itali sciebant Italice. Præterea Manzoni non solum ad linguæ constitutionem, sed etiam ad nationis adunationem multum contulit.

I Promessi Sposi (Latine: *Sponsi*) est opus vere nitidum. Historia fit in Langobardia, septimo decimo sæculo, tempore Hispanicæ dicionis. Lucia et Rentius, simplices et honesti iuvenes, in eo sunt ut matrimonio

coniungantur, cum Rodrigus, dominus eius regionis, vir improbus et contumax, rem impedire sibique soli reservare puellam statuit. Miseri sponsi vicum suum relinquere coguntur, separantur, multa et terribilia patiuntur, usque dum nuptias tandem aliquando celebrare possint.

Hoc præclarum opus romanticum, quo vicissitudines ostenduntur illorum temporum, unum e litterarum Italicarum monumentis, prima fuit fabula romana in hodierna Italia exarata. Non mirum ergo si complures homines docti eam, saltem partim, crassa ut est, in Latinum convertere cupiverunt, præcipue Æmilius Springhetti S.I. (1913-1976), egregius philologus, cuius opera *Institutiones Stili Latini*, *Lexicon Linguisticae et Philologicæ*, *Selecta Latinitatis Scripta auctorum recentium*, ne plura memoremus, inscripta, dignissima sunt quæ sive in bibliothecis querantur sive in lucem iterum edantur.

Latinam illius viri docti translationem in libro supra laudato (*Mala cosa nascer povero*) tanta delectatione, mi lector, legi, ut paucas margaritas inde excerpas tibi velim proponere, sperans fore ut eis delectatus totum librum postea ipse perlegere cupias.

Incipiamus ergo unde omnes illæ miseriæ incohatae sunt, sequamurque dominum Abundium, curionem cuiusdam pagi ad Larium lacum siti, domum sub finem diei tranquille redeuntem (cap. I) :



... Sub vesperum diei VII Idus Novembres anno 1628 quadam ex his semitis placide a deambulatione domum redibat dominus Abundius, curio cuiusdam ex iis pagis, quos supra memoravi: huius quidem nomen, sicuti et illius genus, neque hoc neque alio libri manuscripti loco relata inveniuntur. Pensum divini officii persolvebat tranquille, et interdum, inter psalmum et alterum, cladebat librum, immissum retinens pro signo indicem dextræ, qua iuncta cum læva post tergum, suum pergebat iter demissis in terram oculis pedeque ad maceriam depellens lapides, quibus iter erat impeditum: tum faciem allevabat humo oculosque circa deflexos otiose in illam montis partem defigebat, ubi inclinati iam solis lux, per adversi montis hiatus erumpens, diffundebatur passim in eminentia cautium ac purpureas veluti insulas efficiebat amplas et varias.

Cum denuo aperuisset librum et aliiquid divini officii recitasset, ad quandam viæ flexum pervenit, ubi oculos e libro erigere et præ se intendere consueverat: quod illo etiam die fecit. (...) Rem vidit necopinatam quamque non videre maluisset. Duo enim viri, adversi

inter se, stabant ad concussum, ut ita dicam, duarum viarum: alter interposita cruribus humili maceria sedebat, altero pede exterius pendente, altero via innixo; socius stabat, applicato ad murum corpore brachiisque ad pectus consertis. Eorum vestitus, habitus, aspectus, quantum quidem hic poterat, ex loco quo pervenerat curio, discerni, haud dubium relinquebant quod genus hoc hominum esset. Erat utrius caput viridi præcinctum reticulo, quod in lœvum humerum defluebat magno deficiens lemnisco; ingens subter coma prominebat in frontem; erant mystaces promissi et in vertice intorti; balteus e corio nitens, cui duo aptabantur minora sclopeta; plenum pyrii pulveris corniculum, dependens, quasi torques, ante pectus; culter, cuius manubrium eminebat ex funda laxarum inflatarumque bracarum; tum ingens gladius cum magno capulo interciso laminis ex orichalco ad numeri veluti notam conformatis: primo statim adspectu se homines præbant ex genere *satellitum*. (...)

Iam porro res erat manifesta duos illos viros, quos supra descripsimus, exspectare aliquem; at molestissimum Abundio curioni fuit ex quibusdam gestibus intellegere se ipsum exspectari. Etenim, ut in eorum fuit conspectu, inter se illi aspexerunt extollentes caput quodam motu, ex quo colligebatur utrumque suppressa voce dixisse: ipse est; qui enim diductis cruribus insidebat, surrexerat pedem retrahens in viam; alter se a muro removerat atque ambo ei obviam veniebant. Is, horiarum precum librum tenens præ se continenter apertum ac si legeret, sursum prospiciebat, quid agerent observaturus, cumque illos sibi ipsi obviam fieri vidisset, repentina veluti curarum agmine angi animo coepit. Continuo ex se festinus quæsivit num in spatio satellites inter et se interiecto, aliquis a dextra vel sinistra parte pateret viæ exitus, statimque occurrit ei nullum dari. Inquisivit in se breviter si quid in hominem aliquem vel potentem vel ulciscendi cupidum peccasset; sed, in ipsa animi perturbatione, solacium conscientiæ recte factorum eum aliquantum confirmabat; satellites tamen, defixis oculis eum intuentes, proprius accedebant. Sinistræ indicem mediumque digitos introduxit in collare, quasi illud compositurus, eosque circa collum circumferens flectebat retro vultum, simul os distorquens et limis oculis quo longissime poterat spectans si quis veniret; at neminem vidit. Oculos desuper maceriam coniecit in agros: neminem; demissius iterum in adversam viam: neminem præter satellites. Quid ageret? Regrederetur? sero erat; fugeret? idem fuisset quam si dixisset: sequimini me, et peius etiam. Periculum, cum declinare non posset, adiit, namque brevis illa interposita



dubitacionis mora, tam erat tunc ei molesta, ut nihil potius haberet quam ut faceret breviorem. Accelerato gradu dictoque clariore voce versiculo, vultum quam maxime potuit ad serenitatem hilaritatemque composuit ac summo studio annis est ut se leniter arridentem pararet; cum autem coram probis illis viris fuit, dixit tacite: en adsum, et constitit in vestigio. «Domine curio», inquit alter satellitum, oculos in eius vultum defigens.

«Quid vis?» inquit continuo Abundius, suos alle-vans libro, qui in manibus ut in pluteo hæsit apertus.

«Est tibi in animo» perrexit alter minitabundus iratusque, ut qui inferiorem suum manifeste scelus molientem deprehendat, «est tibi in animo cras iungere matrimonio Laurentium Tramaglino cum Lucia Mondella!»

«Scilicet...» inquit tremula voce Abundius: «scilicet vos estis viri usu vitæ periti probeque nostis quomodo huiusmodi res se habeant. Misello curioni nihil est cum hisce rebus; tricas inter se suas prius componunt, deinde postea... veniunt ad nos tamquam si ad tabernam argentariam se conferant pecuniam exacturi; nos autem... nos omnium ministri sumus.»

«Age vero», inquit in eius aurem satelles, sed gravior et imperiose, «hoc matrimonium neque crastino die nec umquam erit copulandum.»

«At vos, mi domini», inquit Abundius voce leni et blanda instar eius qui studeat impatientis animum persuadendo placare, «facite, quæso, qui ego sum, esse vos. Si ex meo arbitrio penderet res... sed, probe videatis, nihil inde lucri in me redundant...»

«Agedum», impedivit eum satelles, «si verbis res esset diiudicanda, tu nobis fucum faceres. Nos nec sci-mus nec volumus scire plura. Levius lædit... cetera



intellegis.»

«At, mi Domini, iustiores vos æquioresque estis quam ut non...»

«At denique», tum dicentem interruptus alter sceleratus, qui ad illud tempus tacuerat, «hæ nuptiæ minime fient, aut...» impium hic verbum profudit, «aut coniungentem non pœnitabit, quia ei non suppetet tempus, et...» denuo atrocem iactavit in Deum vocem.

«Taceas, taceas» inquit qui prior locutus erat, «curio noster non is est profecto, qui rationem ignoret vivendi in societate; nos autem viri probi sumus et nolumus ei iniuriam inferre, modo prudens sit. Reverende curio, Rodrigus, erus noster illustrissimus, studiose salvere te iubet.»

Hoc nomen in Abundii mente idem fuit ac fulgor, quod in media exorta noctu tempestate res ad punctum temporis illuminat obscure additque terrorem. Ipso prope naturæ motu et habitu magnam fecit corporis inclinationem et «num quid» inquit, «mihi suggestere potestis...»

«Oh! Qui possumus tibi suggestere, qui scis Latine!» interruptus eum rursus satelles, risum edens et solutum et ferocem. «Tuum est negotium. At caveas in primis ne quid de dato pro tua salute consilio loquaris; sin minus... hem... perinde esset ac si matrimonium illud copulares. Heia vero, quid tuo nomine optas referre nos Rodrigo, domino illustrissimo?»

«Observantiam in eum meam...»

«Mentem explica clarius!»

«Paratum me... paratum esse semper ad obœdendum.» Quæ cum diceret, nesciebat et ipse utrum fidem obligaret suam an urbana officia præstaret. Satellites vero in severiorem sensum verba accepérunt vel accipere simularunt.

«Sane bene, Domine, et molliter cubes» inquit alter eorum proficiscens cum socio. Abundius, qui paulo ante omnia donasset ut eos vitaret, voluisset tunc colloquium de negotio componendo producere.

«Domini...» exorsus est, librum utraque claudens manu; sed illi, denegata ei audientia, in viam se dede-runt unde ipse venerat, abieruntque turpem modulantes cantilenam, quam exscribere nolo. Misellus Abundius constitit paulisper hianti ore veluti fascinatus; deinde in viam ex duabus se dedit, quæ domum suam ducebat, lento gradu trahens ægre crura, quæ torpentia videbantur. Quid vero tunc animo agitaret, percipietur melius cum aliquid de eius natura moribusque et de ætate qua vixit, dixerim.

Abundius curio (qui legit iam hoc animadvertisit) fortè ac magnum animum a natura non obtigerat...



Nonne placet? Nonne sermo sponte fluere videtur? Nobis non translationem, sed ipsam fabulam sub oculis habere videmur, iamque cetera legere avemus. Pergamus paululum, et videamus quomodo curionis ancilla tam grave secretum detegere valeat:



Cum, animo sic perturbatus, ad ianuam pervenisset domus suæ, in extremo pago positæ, clavem, iam in manu paratam, immisit celer in seram; aperuit, rursus obseravit diligenter, cupideque appetens cum fida esse socia, continuo in clamavit: «Perpetua! Perpetua!» contendens simul ad exedrum, ubi illa certe erat, ad mensam vespertinis epulis instruendam. Perpetua, ut omnes facile intellegunt, Abundii ancilla erat: studiosa ac fidelis, pro tempore et re parebat iubebatque, domini murmuraciones et deliramenta suo tempore sustinebat faciebatque ut in tempore ferret ille sua, quæ frequentiora fiebant in dies, postquam legitimam quadraginta annorum ætatem supergressa erat, innupta manens quod, ut ipsa dicebat, omnes oblatas sibi uxorias condicione repudiasset, vel quod, ut amicæ asserebant, neminem repperisset umquam, qui eam ducere vellet.

«Venio» inquit, imponens mensulæ, quo solebat loco, lagunculam vini quod Abundius habebat in deliciis, et lente tetendit ad eum; at nondum exedri limen attigerat, cum is intravit gradu tam impedito tantaque in aspectu et in vultu perturbatione, ut nihil perspicaces Perpetuae oculi opus fuerint ad percipiendum prima species ei reapse aliquid plane insolitus contigisse.

«Pro bone Deus! Quid laboris est tibi, mi domi-

ne?» «Nihil, nihil», inquit Abundius, decidens in suam cathedram anhelans.

«Quid! Nihil? Visne, quo es mæsto et conturbato vultu, mihi imponere? Aliquid certe magni evenit.»

«Heu, quæso! Si dico nihil, aut nihil aut res est mihi tacenda.»

«Mihi etiam a te non aperienda? Quis iam tuam curabit valetudinem? Quis dabit tibi consilium...?»

«Ei mihi! Tace nec aliud appone in mensa: da poculum illius vini mei.»

«Non mihi profecto persuadebis bene te habere!» inquit Perpetua, poculum implens vino tenensque in manu quasi non nisi præmio datura secreti, cuius communicatio tamdiu morabatur.

«Da, da mihi» inquit Abundius, arripiens manu tremebunda poculum epotansque festinanter tamquam medicamentum.

«Vis igitur quærere coger hic atque illic quid domino meo acciderit?» inquit Perpetua, stans in eius conspectu, manibus ad latera inversis cubitisque prominentibus, et eum intuens tamquam si vellet ex eius oculis sugere secretum.

«Desinas, oro te, ineptire, desinas clamitare: agitur... agitur caput!»

«Caput!»

«Caput!»

«Nosti tu probe, quotiescumque mihi aliquid sincere secretoque aperuisti, me numquam...»

«Numquam scilicet! Veluti cum...»

Sensit Perpetua se rem imprudenter tetigisse; quare illico mutata persona, «mi domine», inquit commota voce et ad permovendum apta, «semper tui studiosa fui; et si secretum nunc noscere opto, propterea est quod, pro te sollicita, tibi volo esse auxilio et dare consilium et tuum erigere animum!...»

Est ut Abundius tanto forsitan teneretur desiderio liberandi se molesto secreto, quanto Perpetua cognoscendi; quam ob rem novis instantioribusque Perpetuae conatibus segnus ac segnus propulsatis, postquam illa sœpe adacta iuravit silentium se esse servaturam, tandem, hærens pluries multaque trahens suspiria, infeliciem casum narravit. Cum vero terrible auctoris criminis nomen efferendum fuit, novum sanctiusque oportuit daret Perpetua iusurandum; dictoque nomine, Abundius concidit resupinus in sellæ arcum, ducens ex imo corde suspirium manusque tollens in iubentis et implorantis modum ac dicens: «Fac taceas, oro te per Superos!...»

quod tibi proponam, bone lector, pro certo habens te totam rem postea quæsitorum esse – postero die, inquam, celebrandæ sunt, at celebrari non possunt, nuptiæ istæ.



Prima e somno excitatio post calamitatatem et in mediis molestiis, peramara est. Simul atque ad se rediit mens, ad ea revocatur quæ in actæ vitæ tranquillitate solebat agitare; at continuo memoria novæ rerum condicionis subit importuna, atque ex brevissima illa comparatione acrior fit ægritudo. Huiusmodi momento temporis acerbe gustato, statim Abundius nocturna sua collegit consilia, confirmavit, disposuit aptius; surrexit deinde exspectavitque Rentium, trepidus et idem impatiens moræ.

Laurentius seu, ut omnes eum vocabant, Rentius, non diu exspectantem moratus est. Ubi primum enim tempus fuit adeundi non importune curionem, eius domum læta illa festinatione petuit, quam viginti annorum adulescens adhibet, qui eo ipso die quam amat ducturus est uxorem. (...) Abundio præsto fuit bene cultus, opertus pileo cum plumis varii coloris, eminentia ex fundula bracarum cælato pugionis capulo, festivo quodam vultu eodemque feroce, quem tunc quietissimi etiam homines geregant. Excepit eum Abundius incerto modo et obscurò, qui mire cum adolescentis iucunda alacritate discrepabat.

– Ecquid sollicitudinis aliquid habet? – cogitavit animo Rentius, deinde: «Scitum venio, inquit, Domine curio, quota te hora iuvet adesse nos in templo.»

«Quem diem significas?»

«Quid, quem diem? Non meministi in hodiernum diem esse rem constitutam?»

«In hodiernum diem?» inquit Abundius, ac si primum de re audiret. «Hodie, hodie... æquo id feras animo, hodie non possum.»

«Hodie non potes? Quid novi accidit?»

«In primis, vides, minus bene me habeo.»

«Dispicet sane mihi; at quæ res agenda est, tam exigui temporis est tamque exigui laboris...»

«Deinde vero, præterea...»

«Quid præterea?»

«Præterea res habet difficultates.»

«Difficultates? Quæ difficultates possunt haber?»

«In nostram succedatur vicem oportet, ut noscatur quot in his rebus oriantur molestiæ, quot sint redendæ rationes. Benigniore sum ego animo et nihil cogito aliud, quam impedimenta removeo, omnia expedio, res conficio ad aliorum arbitrium, et meo desum



Postero autem die – et hoc ultimum erit excerptum,

officio; dein vero in reprehensiones et peius etiam incurro.»

«At, obsecro te, ne me teneas ita suspensum, sed aperte palamque dicas quid sit.»

«Nostine tu quot denique ad legitimum matrimonium sint iusta perficienda?»

«Aliiquid, pro! noverim oportet», inquit Rentius subirascens, «nam satis me superioribus his diebus obtudisti. Sed nunc expedita non sunt omnia? Non omnia quæ facienda erant, confecta sunt?»

«Omnia! Tibi confecta videntur omnia: namque, patientia utaris, ego stolide ago, qui, ne aliis molestias exhibeam, officium neglego meum. Nunc vero... nihil plura, intellego quid loquar. Nos miseri curiones inter sacram saxumque stamus: tu moræ impatiens es; excuso te, adulescens miselle; et qui præsunt... at satis, dici enim omnia non possunt. Nos denique damnum facimus.»

«At explica tandem mihi quid ex lege adhuc præstandum sit, ut dicis, et statim præstabitur.»

«Nostine tu quot sint impedimenta dirimentia?»

«Quid vis nam me scire de impedimentis?»

«*Error, condicio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, si sis affinis...*»

incipiebat Abundius, summis computans digitis.

«Mene habes ludibrio?» interruptum eum adolescens.

«Quid tuo faciam sermone Latino?»

«Si igitur res ignoras, patientia utaris teque scienti committas.»

«Agedum!...»

«Eia, ne irascaris, mi Renti, nam facere paratus sum... omnia quæ per me stant. Ego lætum te volo videre; ego bene cupio tibi. Ah!... Tam beate tibi fuisse! Quid tibi deerat? Incessit tibi cupidus ducendi uxorem...»

«Qui sermones sunt isti, mi domine» inquit Rentius attonito iratoque vultu.

«Per iocum dico, ne succenseas, dico per iocum. Lætum te videre volo.»

«At denique...»

«Denique, fili mi, ego extra culpam sum; non ego legem tuli. Et priusquam nuptiale sacrum conficiatur, ex ipso nostro officio multa nobis quærenda sunt, ut compertum sit nullum iam dari impedimentum.»

«Age vero, dic tandem mihi, quod impedimentum intercesserit.»

«Patientia utaris, non enim res eiusmodi sunt, quæ possint e vestigio enodari. Nihil, spero, erit; at tamen hæ nobis inquisitiones prorsus faciendæ sunt. Plana sunt verba et aperta: *antequam matrimonium denunciet...*»

«Iam tibi dixi nolle me verba Latina.»

«Oportet tamen explicem tibi...»

«At non iam hæc investigasti?»

«Non omnia, dixi, ut debueram.»

«Cur non inquisivisti tempestive? Cur dixisti mihi omnia esse confecta? Cur exspectasti...»

«En, nimiam meam reprehendis benignitatem.

Omnia ego expedivi, ut citius tibi operam navarem: nunc vero... nunc incumbunt mihi... nihil plura, res ego novi.»

«Quid autem vis faciam?»

«Aliquos exspectes dies. Fili mi, pauci dies non sane tempus infinitum sunt: utaris patientia.»

«Quot igitur?»

– Bene res se habet, – secum reputavit dominus Abundius, et, officiosior solito, «age», inquit, «quindem diebus studebo... curabo...»

«Quindecim diebus! Oh mirum hoc sane est!

Omnia confecimus quæ tu voluisti; dies constituta est; hæc venit, et tu nunc exspectandum mihi esse dicis quindecim dies! Quindecim...» perrexit maiore voce et irata, brachium extendens verberansque pugno aera: ac profecto insanum aliquod illi numero verbum copulasset, nisi dicentem interrupisset Abundius, alteram eius manum apprehendens timida officiosaque benignitate: «Eia age, ne succenseas, quæso. Videbo, conabor si hebdomadæ spatio...»

«Et Luciæ quid mihi erit dicendum?»

«Errasse me.»

«Et de vulgi fabulis?»

«Dic omnibus memet errasse, ex præpropera festinatione, ex nimia benignitate: culpam in me confer unum. Num loqui possum indulgentius? Age, exspecta hebdomadam.»

«Deinde vero non alia erunt impedimenta?»

«Nullum aliud, ut dixi.»

«Age, exspectabo patienter hebdomadam; at, hem serva! Hac interiecta, non iam in verbis inanibus acquiescam. Interim vale.» Quod cum dixisset, exiit, Abundium salutans cervice quam solebat minus curvata aspiciensque significantius quam reverentius...

Manesne, lector, animo suspenso? Tum cetera in ipso libro! ☺

1. Alessandro Manzoni, *Mala cosa nascer povero. I Promessi Sposi ed altre prose in traduzione latina*, ed. E. Renna, Napoli, Edizioni Sparton, 2010, 303 p. Alessandro Manzoni, *Di liete voglie sante. Inni Sacri ed altre poesie in traduzione latina, 'Volucres' in greco antico*, ed. E. Renna, Napoli, Edizioni Sparton, 2010, 303 p. ISBN 978-88-901833-2-4.

In hoc fasciculo !

Cum circumspicio... [G. Licoppe] p. I

De scientiis Arabice scriptis (I) [G. Licoppe] p. 3

Disciplina Latinitatis vivæ quid sibi proponat [A. Slednikov] p. 6

«Sponsi» [A. Manzoni - A. Springhetti - F. Deraedt] p. 12

*Imago tegumenti: Dioscorides, De materia medica, Codex Vindobonensis med. Gr. I
(VI sæc. - Bibliotheca nationalis Austriaca - Wikipedia).*

Moscoviæ die 7 m. Decembris a. 2016

in studiorum universitate Lomonosoviana
curante professore doctore Alexio Scatebrano (qui et Solopov) Ruteno

conventus celebrabitur totus Latinus

in memoriam doctoris Helgi Nikitinski.

Acroases facient oratores e variis orbis regionibus oriundi.

Si quis plura scire cupit, professorem Scatebranum adeat:
scatebr@mail.ru

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Premium annuaæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

